

VI. & 16. Confessio nostra, Articulo vicesimo, insigni  
XX. injuria suas affici Ecclesias, conqueritur: & quidem  
haud immerito.

17. Quod si enim per bona opera intelligunt Pon-  
tificij ea, quæ in Decalogo Deus, per singulas hie-  
rarchias à se institutas & comprobatas præcepit:  
tantum profecto abest, ut hæc opera bona prohibe-  
amus, ut diversum luculenter commonstrent no-  
strorum libri & scripta: item sermones homeletici,  
& conciones publicæ in quibus seria atque ardens  
bonorum operum doctrina ita personat, ut vel ipsi  
templorum parietes ac subsellia, innocentia testi-  
monium abundè doctrinæ nostræ perhibeant.

18. Sin vero Opera bona vocant ea, quæ Apосто-  
lus ἐτελοῦσθε κείας; Prophetæ, studia ac adin-  
ventiones cordis humani: Scholastici Doctores, o-  
pera intentione bona rationabiliter instituta  
nominant: qualia sunt certæ seriæ, in eorum eti-  
am honorem institutæ, de quibus an in Cælo vel  
inferno sint, haud injuria dubitatur: Item certæ  
jejunia, Fraternitates, Peregrinationes, cultus  
defunctorum, Rosaria, Monachatus, & quæ hujus  
farinæ sunt sexcenta alia: hæc libenter fatemur,  
nos non modò prohibere, sed in peccatorum atro-  
cissimorum censu numeroq; habere.

19. Et profectò hisce nugis ita Ecclesia in papa-  
tu, ceu diluvio quodam fuit obruta, ut verissimè  
criminationem, qua nos proscindunt, in ipsos re-  
torquere,